

contingit, ut quidam eam subigat, quia illa ipsa ad eum inclinat: quia etiam multæ fæmina hoc vita genus sequentes jam ante eam scorta fuerunt. Comment. ad h. l. fol. 7. d. Consentit David de Pomis in Zemach David fol. 176. d. Posteaquam dixisset quod פִּנְרוֹק significaret, hospitium, diversorium, tandem addit: רֵישׁ מַי שְׁפָרֶשׁ : לְשָׁרֵן זְנוּת כְּמוֹ וַיָּבָאֵו בֵּית אֲשָׁה זָוְחָה : Sunt, qui explicant illam vocem de scortatione, uti dicitur, & venerunt in domum mulieris meretricis, Jol. II, 1. Nec dissentit Auctor Aruch Hakkizzur fol. 54. b.

§. VI.

Nec obstat, quod Rachaba Salmoni, Davidis abavo, nuplerit, quod, uti existimant, non factum, si impudicitæ labi commaculata fuisset. Possemus hic cum Masio Comment. in h. l. rem totam in dubium vocare, quia sententia ea sola nominis similitudine, conjectura non satis bona, nititur. Sed hoc nobis non placet, quia in Christi Genealogia ea tantum mulierum nomina adducuntur, quæ peccatrices fuerunt, & quæ impudicitæ labi commaculatae. vid. Hieron. ad Matth. I. Prima est Thamar, cuius impudicitia Gen. XXXVIII, 29. describitur, secunda est Bathseba, adulterii labi maculata, quibus haud immerito nostra Rachab adjungitur, eadem macula contaminata. Quarta denique est Rutha ex Gentili Judæa facta. Nulla reliquarum matrum mentio facta est: Quæ nobis persuadent, ut eandem Rachabam, quæ exploratores exceperit, habeamus pro illa, quæ Salmoni nupsit. Missa itaque hac, quæ Masio placuit, responsione, aliam & verisimiliorē dabimus. Si Rachab a Salmone Judæ principe in matrimonium ducta est, necesse est, ut eo tempore, quo exploratores exceperit, tenera fuerit, & fortasse vix decimum & quintum annum excesserit. Boas enim ex Salmone & Rachaba natus, Ruth. IV, 21. Math. I, 5. cum Davidis proavus fuerit, vix nasci potuit, nisi quadraginta vel circiter post hæc annis, uti recte collegisse videtur Jacob. Capellus Observat. in h. l. p. 644. Tantum enim abest, ut Talmudistis fidem habeamus, qui in Jalkut Simeon. P. II. fol. 3. col. a. sequentia de ea referunt: אמרו בת עשר שנים הייתה כשיתאו ישראל ממצרים